

1607

*etissimam Sedem observantiae gnarus, horum
dissidiorum causas amoveret: Hoc, uti semper
summopere exoptavimus, enixeque pro conjunc-
tione, atque mutua cum eadem Sanctissima
Sede, cuius observantissimi atque obsequentis-
simi filii sumus, necessitudine laboravimus;
ita hujuscē desiderii nostri compotes esse fa-
ctos valde lætamur, idque vobis significare vo-
luimus: eo insuper adjecto, quod cum utrim-
que, quidquid hac in re opus erat, perfectum
fuerit, amotis censuris, obnuntiatio pariter,
quam ob hanc causam ante emisimus, aboli-
ta maneat; volentes, ut ex hac ipsa cunctis
que actionibus nostris magis ac magis pietas
Et religio Reipublicæ nostræ refulgeat, quam,
uti continuatis temporibus majores nostri fe-
cere, nos quoque sartam tectamque tuebimur.*

Marcus Ottobonus Secretarius.

Vinctos porro tradendi negotiū Marco Ottobono, Sena-
tus scribæ, mandatum; qui summo mane ad Cardinalis ædes
accedens, in cubiculum, ubi Fraxineus legatus aderat, intro-
ductus, altiori voce, ita ut a cunctis exaudiri posset, *Hi
sunt, inquit, Fraxinee, Christianissimi Regis orator, bini ca-
ptivi, abbas nempe Brandolinus, ac Scipio Saracenus, cano-
nicus Vicetinus, quos Respublica, ut Henrico Galliarum Re-
gi gratificetur, salvo jure, quod in ecclesiasticis plectendis
obtinet, summo Pontifici concedit. Orator, iis se accipere con-
ditionibus, affirmat; statimque in aliud cubiculum, in quo
Jojeusa erat, ingressus, *His sunt, ait, Cardinalis Illusterrime,**